3 (3)-1

omnia novit antequam fiant. pro his factis suis penitere non potest. Sed peni-
tentia dei est statuta mutare. et quod prius inchoatum aliter fuerat in
aliud mutare. et aut de bono exigentibus in malo. sicut de saul legitur
penituisse deum quod constituisset eum regem. vel sicut nunc vide-
mus in populo iudeorum factum. qui cum esset populus electus ob impietatem
suam factus est synagoga sathane. De malo vero ad bonum sicut
accidit populo gentilium qui ante non populus dei. nunc autem per christi gratiam
populus electus factus est. Hac quippe in occulto iudicio dei iudas proditor
de apostolatus lapsus gradu in infernum barathri demersus est. Latro vero post
crimen rapacitatis de cruce ad paradisum cum christo latus est. Hec quoque mutatio
ut dictum est. de bono ad malum sive de malo ad bonum que occulto
iustoque iudicio dei severitate iustitie sive per misericordiam eius
fit. penitentia dei dicitur. quod expressius in libro ieremie dictum est.
Non penitere dei est statuta non mutare ullo modo. Ut est illud in psalmo.
Iuravit dominus et non penitebit eum. id est pater ad filium. tu es sacerdos in eternum
secundum ordinem melchisedech. Sacerdos enim patris dictus filius dei
non secundum divinitatem. sed erga humanitatem. in qua se pro nobis per passionem
et mortem suam acceptabile sacrificium deo patri obtulit. ut ipse sacer-
dos qui et sacrificium. Oblivisci dicitur deus cum quibusdam impiis et peccatoribus
non miseretur. quod utique non facit per crudelitatem que in deo non est
sed per occultum iustumque iudicium suum. Indurare deus dicitur quorundam
corda malorum. sicut de pharaone rege egypti scriptum est. non quod
omnipotens deus per potentiam suam corda eorum induret. quod impium est ita
credere. sed exigentibus eorum culpis et duritiam cordis quam ipsi sibi omnia
mala perpetrando nutriunt. non aufert. quasi ipse illos indu-
ret. quia iusto iudicio sinit indurare. Dormire dei est cum unige-
nitus filius patris in assumpta carne pro nobis mori dignatus est. Cuius
mors recte dulcis sopor dicitur ipso dicente per ieremiam prophetam. Ideo
quasi de sompno excitatus sum. et vidi deus et sopor meus dulcis est. Item
deus dormire dicitur cum fides eius inter prosperitates huius mundi
et inter quorundam corda fidelium non vigilat sed dormit. Hanc
dormitionem salvator noster ipse significavit cum in mari inter
fluctus maris ipse dormivit. Vel certe dormire dei est anxiis
tardius venire. sicut est illud in psalmo. Exurge quare obdor-
mis domine exurge et ne repellas in finem. Vigilare dei est in defen-
sione electorum suorum et ultione inimicorum suorum se manifestum demonstrare.

Cod. AA 90 (3)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.3, 1r – Augustinus, (Pseudo-), De essentia divinitatis; Petrus Damianus, De novissimis et Antichristo; Opuscula varia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5kbv/5162/49444)